

omnibus rebus, ea sunt opes, honores, uxores, liberi. Talis unio non perdit civitatem, sed conservat. Et distorta apparet Aristotelis obiectio, qui in id solum tota reprehensione intentus est, ut ad numerum hominum respiceret.

5 Nam et ultima ratio in id spectat:<sup>8</sup> *Est autem etiam alio modo manifestum, quod quaerere nimium unire civitatem non est melius, domus enim sufficientior est uno, civitas vero domo.* Quae res non habet rectum Platonis sensum. Quod vero ait:<sup>9</sup> *non enim sit civitas ex*  
 10 *similibus.* Plato quoque id novit, qui triplex hominum genus constituere ait civitatem: τὸ θητικόν, *ministrans* sub quo agricolas, artifices, baiulos, caupones<sup>v</sup>, mercatores reponit ἐπικουρικόν, *iutans*, sub quo pugnatōres, φυλακτικόν *custodiens*, sub quo custodes legum, magistratus, iudices ac sacerdotes. Hos vero duos ordines civis nomine dignatur non aliter quam Aristoteles ab eo  
 15 desumens libro 7. capite 9:<sup>10</sup> *Agricolae vero et artifices et omne ministratorium necesse est esse civitatibus, partes autem civitatis bellicum et consultativum.* Valde ergo detorta est Aristotelis cavillatio.

Sed aliam 2. capite longissimam instituit quae est a nobis singilatim per capita discutienda. Est igitur prima in nomine πάντες  
 20 *omnes* quando ait:<sup>11</sup> *Si omnes simul dixerint meum et non meum.* In quo ait esse aequivocum et duplicem esse eius significationem, omnes enim vel singuli singilatim cives, ὡς ἕκαστος vel omnes simul, esseque forte facilius, quod una sit civitas, quando πάντες

<sup>8</sup> ἔστι δὲ καὶ κατ' ἄλλον τρόπον φανερόν ὅτι τὸ λίαν ἐνοῦν ζητεῖν τὴν πόλιν οὐκ ἔστιν ἄμεινον. οἰκία μὲν γὰρ αὐταρκέστερον ἐνός, πόλις δ' οἰκίας; [ARIST. Pol. 1261b.10 – 12]

<sup>9</sup> οὐ γὰρ γίνεται πόλις ἐξ ὁμοίων. [ARIST. Pol. 1261a.24]

<sup>10</sup> (γεωργοὺς [γεωργοὶ] μὲν γὰρ καὶ τεχνίτας [τεχνῖται] πᾶν τὸ θητικὸν ἀναγκαῖον ὑπάρχειν ταῖς πόλεσιν, μέρη δὲ τῆς πόλεως τὸ τε ὀπλιτικὸν καὶ βουλευτικόν). [ARIST. Pol. 1329a.35 – 38]

<sup>11</sup> ἐὰν πάντες ἅμα λέγωσι τὸ ἐμὸν καὶ τὸ μὴ ἐμὸν. [ARIST. Pol. 1261b.18 – 19]

<sup>v</sup> Corr. ex cauponas